

Hermann Heltberg Mauritius Sanderus


Exercitationum Logicarum XV. De Syllogismo Topico

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72911631X>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gfl.

35 1717





1610
17

Annunte & Benedicente Domino
Exercitationum Logicarum
XV.
DE
SYLLOGISMO
TOPICO.

Quam
In laudabili & florentissimâ Rosarum Academia
Sub Praesidio
M. HERMANNI HELTBERGII
Walfrodensis Saxonis.

habebit
MAVRITIVS SANDERVS
Hadelensis.

Ad diem V. Aprilis, Horisq;
locoq; solitis.

RostochI
Typis Myliandrinis, Anno c1o 1oC X.



Dn. Christophoro beim Graben/
Viro Nobilissimo, Amplissimo, verâ pieta-
te, eruditâ doctrinâ, nec non omnium virtutum
genere præstantissimo,

U T E T

*Genere, virtute, eruditione & singulari vita
integritate spectatissimis viris Juvenibus S.S. Theologia
& S.S. LL. studiosissimis,*

DN. JOHANNISCHUTENIO,
DN. JODOCO RUPENIO,
DN. MARCO EITZENIO,

Dnis: Cognatis, Mecænatibus, amicis suis studio, &
omni observantiæ cultu in perpetuum
prosequendis ;

*Hoc militia philosophica tyrocinium, ho-
noris & amoris ergò dicat
& offert*

Mauritius Sanderus
Hadelensis Saxo.



26 26

Prooemium.

Ars propria Logicæ, quæ syllogismum certæ materiæ astrictum contem-
platur, à plerisque iisque præstantissimis Lo-
gicis in tres partes sive tractatus subdividi
& distribui solet. Nam pro materiæ va-
riâ conditione, & ipsum syllogismum, qui materiæ illi-
quæ varîe applicatus est, dividi debere manifestum est. Cum
enim materiæ quædam summè sit necessaria, quæ scienti-
am pollicetur, & in doctrinâ demonstrationis pertracta-
tur, quædam verò probabilis, & saltem opinionem gignit,
quædam verò planè falsa, & tamen speciem veri habens,
exiit. Ideò meritò specialis seu propria hæc Logicæ
pars pro triplici hac materiæ, in tres partes dividitur. In
unam, quæ syllogismum necessariæ materiæ immersum,
vocaturq; pars apodictica, alteram quæ syllogismum pro-
babili materiæ adjunctum & vocatur topica, tertia quæ
syllogismum planè falsum pertractat, & vocatur doctrina
Sophistica. Absolutâ autem in priori exercitatione do-
ctrinâ syllogismi materiæ necessariæ immerit: ideò jam
ordine ad eam quæ eundem probabili materiæ applica-
tum pertractat, progredimur. Non autem adeò prolixè
& operosè hanc doctrinam, quemadmodum Aristoteles
fecit, persequemur. Ille enim octo integros libros, qui li-
bri topici inscribuntur, hac de re confecit. Sed saltem ea
ab Aristotele quæ prolixè tractata sunt, in unam aliquam
summam contrahemus, & in compendio quasi & typo
vobis exhibebimus.

Theorema Primum.

Syllogismus dialecticus est oratio, quæ ex probabilibus præmissis, probabilem conclusionem infert. Propositio dialectica est interrogatio probabilis, quâ interrogamus id quod videtur omnibus, vel plerisq; , vel sapientibus, atque his vel omnibus, vel maxime notis & illustribus.

I. Definimus syllogismum topicum seu probabilem per orationem tanquam legitimum & adequatum suum genus. Omnis enim syllogismus oratio est, non verò externa, sed mentalis, non verò mentalis quævis, sed secundum artis Logica præcepta disposita. Dicitur deinde differentia Loco quod sit talis oratio, quæ ex probabilibus propositionibus præmissis probabilem conclusionem inferat. Nam in hoc syllogismus topicus à syllogismo scientifico seu demonstrativo differt & distinctus est. Ille enim ex præmissis necessarijs, & certis conclusionem necessariam & certam infert: hic verò saltem ex probabilibus propositionibus probabilem conclusionem conficit & adfert. Colligitur ideoq; ex hisce propositionum partes in syllogismo hoc probabili non tali nexu necessario, immediato & essentiali, quemadmodum in demonstrativo, sed saltem probabiliter & contingenter coherere, & semet respicere. Distinguitur quoq; hæc doctrina topica, à doctrina demonstrativa sine. Demonstrativa enim certam & firmam conclusionis scientiam tanquam finem suum intendit: hæc verò nudam opinionem & probabilem assensum conclusionis requirit. Distincta deinde hæc doctrina à præcedenti subjectâ materiâ perspicitur. Illa enim in materia summè necessariâ & quæ aliter se habere non potest, hæc verò

verò in contingenti & qua aliter fieri & non fieri potest, laborat
& occupata est. Erit itaq; syllogismus Dialecticus nihil aliud
quam ratiocinatio & discursus mentis, quo proposita aliqua qua-
estione, de ea probabiliter & secundum opinionem & non necessa-
riò & demonstrativè aliquid concludimus. Enodatâ ita syllogismi
topici per genus & differentiam naturâ, non inconveniens ut de
varijs nominibus, quibus hæc doctrina insignitur, pauca subijcia-
mus, erit futurum. Hæc enim declaratis & expositis ipsius syllo-
gismi natura eò evidentior & clarior evadet & reddetur. Dici-
tur ideò hæc Logica particula Dialectica, à græco verbo
Ἀλέγομαι, quod differere seu de aliqua questione proposita pro-
babiliter disputare, & interrogare & ad interrogata respondere
significat. Ex hoc intelligitur proprius finis hujus partis nimir:
differere, probabilia argumenta de aliqua questione ad eam vel
affirmandam vel negandam proponere & in medium asferre. No-
tandus deindè hic est Ramæorum error, qui hæc voce Dialecticâ,
totam ratiocinandi disciplinam inscribere & appellitare contra
omnem veritatem contendunt. Cum tamen verum sit, ratioci-
nandi disciplinam non solum probabiliter disputando & conclu-
dendo, sed insuper etiam demonstrando alijsq; instrumentis quam-
plurimis, ad veritatem rerum indagandam facere & inservire.
Jam autem à fine alicujus particula artis totam artem inscribere,
quam absurdum & ridiculum sit quis non animadvertit? Nomi-
natur deindè hic tractatus, doctrina topica, hoc est doctrina de
locis. Τόπος enim græcis Locum sive situm significat. Non au-
tem hic accipimus vocabulum loci pro tractu seu regione aliquâ
neg; pro affectione corporis naturalis aliqua, sed pro indice, seu ti-
tulo aliquo, sub quo tanquàm aliquo loco continentur argumenta,
quæ ad probabilem aliquam conclusionem inferendam adhibemus.
Nâ quemadmodû apud Jureconsultos habetur certi tituli sub qui-
bus tanquàm suis locis, leges aliqua de uno juris articulo conscri-
pta con-

pta continentur: ita etiam hic locum pro titulo quodam sub quo
argumenta ad rem aliquam probabiliter confirmandam continen-
tur, accipimus. Ex his aliquantò uberiorem hujus doctrina co-
gnitionem à vobis acquiri non dubitamus. Cum vocabulorum e-
nodatio nos sapissimè, teste Scalig. in magnam rerum deducat co-
gnitionem. Declarati itaq; hætenus syllogismi ~~de topi~~ ^{di} ~~cativi~~
exemplum ponimus tale: Quodcunq; bonam habet causam effi-
cientem illud bonum est. Atqui philosophia habet causam bonam
efficientem. Ergò Philosophia quoq; bona est. Hic Syllogismus
non pro fine ultimo agnoscit scientiam. Non enim vult demon-
strare predicatum conclusionis de subjecto per primas immediatas
& proximas causas & propositiones, adeoq; scientiam in nostros
animos introducere, sed saltem probabiliter conclusionem inferre,
adeoq; opinionem pro fine ultimo agnoscit. Non enim hujus syllo-
gismi partibus leges & conditiones, instrumentis apodicticis sive
demonstrativis accommodata, & convenientes, accommodari &
convenire possunt. Atq; ita primâ parte theorematum nostri, qua
de syllogismo topico agit absoluta, ad alteram de propositione Dia-
lectica agentem nos convertemus. Nam necesse est quamam pro-
babilia vocentur & sint, si in doctrinâ topica utiliter versari vo-
lumus, ut sciamus. Dicimus autem in thesi nostra quod proposi-
tio dialectica sit interrogatio probabilis, qua interrogamus id quod
omnibus vel plerisq; vel sapientibus, atq; his vel omnibus vel ma-
ximè notis & illustribus, videtur, quibus verbis innuimus diale-
cticam questionem nihil aliud esse, quam aliquam propositionem
interrogativè prolatam, de cujus veritate in utramq; partem di-
sputari potest. Non enim sufficit scire quid sit syllogismus probabi-
lis sive dialecticus, sed etiam requiritur ut sciamus & cognosca-
mus aliquo modo quid sit ipsa res de qua debemus probabiliter dif-
currere & disputare. Ponimus autem exemplum propositionis
Dialecticae tale: Suntne fures suspendendi? Hic proponitur
propo-

propositio Dialectica, id est aliqua propositio cum interrogatione prolata. De hujus itaq; veritate & falsitate possumus probabiliter differere, id est, argumenta in partem affirmantem quod videlicet sint suspendendi, idq; vel à contrarijs, alijsq; instrumentis, afferre: possumus item in partem negantem multa adducere argumenta, atq; hac ratione, de proposita illa questione in utramq; partem tam affirmativam quam negativam probabiliter, id est, propter opinionem & aliquem assensum, non verò propter scientiam propriè sic dictã, videl: aliter rem se habere non posse disputare. Cum fures suspendi, & etiam non suspendi possint. Colligitur ideòq; ex his, ad hanc partem seu potius particulam Logices requiri, primo ut sciamus quid sit syllogismus topicus, circa quam materiam versetur, quem sibi habeat propositum finem, quot habeat denominationes, deindè ut de quanam re seu questione Philosophica disputare debeamus, cognitum habeamus scil. de tali, qua vel omnibus vel plerisq;, vel sapientibus atq; his vel omnibus, vel maximè notis & illustribus probatur. Sed quia nos hætenus ea omnia qua ad syllogismi, questionis seu propositionis dialecticæ constitutionem spectare videbantur expedivimus; ideo jam ad alia, ad hanc partem Logices pertinentia transitum insituemus.

Theorema Secundum.

Argumentum est probabile inventum ad faciendam fidem: Locus est sedes argumenti ad probandam vel negandam questionem seu propositionem dialecticam facientis.

I. Expedita sunt ea omnia qua ad definitionem syllogismi dialectici, & questionis sive propositionis Dialecticæ naturam & essentiam spectare videbantur, in theoremate proximo. Sed quia

quia non sufficit Logicum scire quid sit syllogismus topicus & questio dialectica, sed insuper etiam, ut quid argumentum, hoc est, ratio seu causa, cujus beneficio in quaestionis partem vel affirmantem vel negantem declinemus sit sciat desideratur. Nuda enim questio, & nudus syllogismus Dialecticus Logico seu studioso veritatis non satisfacient, sed insuper etiam argumenta, quibus syllogismum ornare, & qua ad quaestionem vel affirmandam vel negandam adhibere potest, desiderabit. Dicitur autem in thesi nostra argumentum esse inventum probabile ad faciendam fidem, quibus verbis indicare volumus argumentum topicum nihil aliud esse, quam propositionem aliquam notam, cujus beneficio in syllogismo topico predicatum conclusionis subiecto inesse concludimus, seu argumentum esse propositionem aliquam qua adhiberi potest in syllogismo topico ad propositionem aliam probandam, cujus est dubia veritas: Exemplum huius rei ponimus tale: cujuscumque rei causa efficiens bona est, illa ipsa etiam bona erit. Atqui Philosophia causa efficiens bona est. E. & ipsa Philosophia bona erit. In hoc syllogismo argumentum est illa propositio, cujus rei causa bona est, illa etiam bona est. Nam illius beneficio alterius propositionis in qua de bonitate Philosophiae quaeritur, veritas ostenditur & confirmatur. Erat enim questio huius syllogismi: An Philosophia esset res bona? Quam propositionem seu quaestionem probamus per argumentum, id est propositionem aliquam notam, cujus veritas manifesta est. Colligitur idcirco, argumentum in syllogismo topico, idem esse cum medio termino. Nam quemadmodum in doctrina demonstrationis requiritur ut ad adhibetur medius terminus qui causam indicet per quam affectio subiecto inhareat; ita etiam hic requiritur aliquod argumentum, cujus beneficio predicatum conclusionis subiecto ejusdem inesse probabiliter concludamus, quod medium terminum vocamus. Colligitur itaque, ex hisce, argumentum in syllogismo topico

topico nihil aliud esse quam medium terminum, in eo ad probandam conclusionem adhibitum. Jacob. Martini Logic: peripatet: lib. 2. sect. 2. cap. 4. Gregor: Horst: Institut: Logic: lib: 2. tract. 3 cap 3. Atq; ita expedi vimus primam huius theorematis partem; de altera itaq; paucis agendum restat. Dicimus autem in theoremate nostro de Loco. Vbi obiter notandum vobis est nos hic non agere de loco eo modo & ratione qua Metaphysicus & physicus de iisdem precipiunt, sed saltem vocabulum loci assumi & dici debere metaphoricè. Sumptum enim & translatum est hoc vocabulum ex Physicâ ad Logicam. Nam quemadmodum ibi quodlibet corpus naturale in suo proprio & convenienti loco poni & consistere dicitur: ita etiam hic Locus sumitur ad similitudinem physica pro aliqua sede sive titulo sub quo argumentum sive medius terminus qui in omni syllogismo topico ad conclusionem inferendam requiritur, continetur. Dicitur autem in thesi nostra quod Locus sit sedes argumenti, ubi iterum notandum Locum, vel sumi pro ipso indice sive titulo, vel pro axioma sub titulo illo contento, ut exempli causa, quando dico, cuiusq; convenit definitio, illi etiam definitum; Hic duo sunt notanda ipsum axioma & deinde locus ex quo hoc axioma est desumptum. Dicimus autem hoc axioma esse desumptum ex loco definitionis. Vbi dicimus nos hic non sumere vocabulum Loci pro ipsa re sive axioma sub ipso loco contento, sed pro ipso loco, qui index sive titulus est, sub quo axioma illud continetur. Atq; sic dicimus ex loco causarum, effectuum, subsectorum comparatorum, hoc argumentum sive hunc medium terminum esse desumptum.

Theorema Tertium.

Locus est vel artificialis, vel inartificialis;

B

artifi-

artificialis est, qui indicat & continet argumentum Dialectici arte & diligentia inventum & constructum: locus inartificialis est qui non continet & indicat argumentum artificio quodam constructum, sed ab auctoritate aliquâ seu testimonio confirmatum: Loci artificiales dividuntur in antecedentium, consequentium, & repugnantium.

I. Definitioni Loci topici in precedenti theoremate evoluta, divisio ejusdem subjicienda in hoc theoremate videbatur. Non enim Dialecticus suum finem divisione Locorum ommissa feliciter consequi & adipisci potest. Debet enim modò ex loco artificiali, modò ex loco inartificiali ad confirmandam suam sententiam, argumentari & argumentum adducere. Non autem, hac divisione neglecta, hoc ipsum prestare posset. Ridiculus siquidem esset, qui se ex loco vel artificiali vel inartificiali argumentari diceret, & tamen quid locus artificialis, quid inartificialis esset ignoraret. Dicimus autem in thesi nostra quod locus artificialis sit qui indicet & contineat argumentum Dialectici arte inventum & constructum, quibus verbis innuimus locum artificialem nihil aliud esse quam indicem sive titulum, axiomata sive regulas à Logicis diligentia & artificio quodam constructas sub se continentem, ut exempli causa, quandò tale profero axioma: Qualis causa, talis effectus. Hic est quadam regula sive axioma, quod argumentum vocatur, & est arte & diligentia Logicorum sive Philosophorum constructum & inventum, & continetur sub Loco sive titulo causarum. Nam est argumentum sive ratio à loco causarum sumpta. Colligitur ideoque locum sive titulum hic denominationem accipere

accipere à re siue axiomatica & regula subjecta. Nam sicuti axiomatica siue argumentum est artificiosum & probabile Logicorum inuentum; eodem modo etiam titulus tale argumentum siue axiomatica indicans & sub se continens talis dicitur. Et tantum de definitione & naturâ loci artificialis, ex quo facile quid inartificialis sit possumus colligere. Dicitur autem quod locus inartificialis sit qui indicet argumentum non ex artificio, sed ex auctoritate deductum. Vbi innuimus locum inartificialem esse indicem siue titulum sub se testimonia quorundam praclarissimorum & praestantissimorum Virorum continentē. Exemplum loci artificialis ponimus tale: Queratur an detur Metaphysica? Affirmatur autem hoc ipsum vel ex loco artificiali vel inartificiali siue testimonio. Hoc ergo jam probo dicendo ita: Quodcumq; statuunt & affirmant omnes saniores Philosophi illud concedendum est. Atqui Metaphysicam dari asserunt omnes saniores philosophi. E. Metaphysica concedenda est. Hic argumentum est desumptum ex loco inartificiali videlicet testimonio & auctoritate humana sc: omnium praestantissimorum Philosophorum. Ex his colligitur locum inartificialem nihil aliud esse quam titulum siue indicem sub se testimonia & auctoritates sapientum & Doctorum Virorum continentē. Dividitur verò vulgò testimonium in divinum & humanum. Testimonium divinum dicitur quod DEum authorem agnoscit: humanum verò quod ab hominibus ortum trahit.

II. Explanatâ ita loci tam artificialis quam inartificialis natura: consequens esse videtur, ut quotuplex locus artificialis sit, subiiciamus & demonstremus. Vbi notandum vobis aestimamus, à nobis talem ordinem in declarandis & di videndis locis artificialibus, qualem ab Aristotele observatum videtis, non observari: Ille enim longè alio modo, de his in octo libris topicis quâ nos in presenti exercitatione, agimus, egit, de quo ordine videatur

tur ipse Aristoteles loco nominato & Jacobus Mart:
Disputat: Logicar: 17. Nos autem, quare tam prolixo & co-
pioso tractatu de his quam Aristoteles egit, non agemus, indica-
vimus statim in initio sive proæmio hujus exercitationis nostræ,
ubi diximus, nos non tam operosè & copiosè de hisce esse acturos
sed saltem ea quæ Aristoteles prolixè persecutus est, in summâ qua-
dam & compendio vobis delineare velle. Cum saltem compen-
dium, organi Aristotelici, & non ipsum organon in hisce thesibus
& disputationibus nostris, polliceamur. Dividimus ideò, ut ex
thesi nostrâ patet locos in antecedentium, consequentium & pu-
gnantium, cujus divisionis rationem reddimus & afferimus talem.
Quodcumq; argumentum sive ratio adhibetur ad aliquâ rem sive
questionem vel affirmandam, vel negandam, illud vel desumitur
ex ijs quæ ipsam rem, de quâ questio illa agit, præcedunt, vel
sequuntur ut effectus & similia, vel cum ipsa pugnant. Jam au-
tem, quia Dialecticus argumentari & probabiliter de aliquâ
questione proposita disputare debet: idè tali modo, vel à præce-
dentibus sive antecedentibus, vel à consequentibus ipsam rem, vel
cum eadem pugnantibus suas rationes vel ad affirmandum vel
ad negandum sumere debet. Corroboratur deindè hic noster pro-
cedendi modus ab exemplo nonnullorum Logicorum, qui tali modo
& ratione de hisce locis argumentorum egerunt. Videatur Re-
gius Disputat: Logic: lib. 5. probl: 9. Gregorius Horst:
Instit: Logic: lib. 2. tract. 2. cap. 3.

Theorema Quartum.

Locus antecedentium est, qui continet &
indicat argumenta, ab ijs quæ rem antece-
dunt, desumpta.

I. Demonstrata in proximo theoremate generali locorum de-
clarata

clarationi, in hoc specialis eorundem contemplatio erit subij-
cienda. Semper enim à generatioribus ad specialia descensum in
disciplinis facere debemus. Dicimus autem in theoremate nostro
quod locus antecedentium sit, qui contineat argumenta ab ijs qua-
rem antecedunt, desumpta, quibus verbis indicare volumus, lo-
cum antecedentium esse indicem sive titulum sub quo axiomatica
sive argumenta vel à causâ efficiente, formali, materiali, & fina-
li, vel à toto & partibus alijsq; id genus allata continètur. Hæc n.
omnia, res quarum præsupponit. Pertinebunt itaq; ad hoc loci ge-
nus argumenta causa efficiente, formali, materiali finali, ab
effectu, subjecto, adjuncto, toto & partibus, genere & specie de-
sumpta. A causa autem efficiente argumentamur ita: Posita cau-
sa, ponitur effectus: Sublata causa tollitur effectus: Qualis cau-
sa, talis effectus: causa naturâ prior est effectus. Quæ omnia quo-
modo debeant intelligi & explicari tradit Gregorius Horst:
Instit. Logicar: lib. 2. tract. 3. cap. 4. A causa materiali
sequenti modo deducuntur argumenta: Posita causa materiali
possibile est dari materiatur; sic posito panno, possibile est dari &
poni vestimentum; Sublata causa materiali, tollitur etiam ma-
teriatur: materia ordine naturâ prior est formâ: ratione verò
dignitatis formâ prior est materiâ. A causâ formali taliter argu-
menta deducere possumus: positâ forma ponitur formatum: sub-
latâ formâ tollitur quoq; formatum. Quicquid affirmatur de for-
ma, id etiam dicitur de formato: Vnius rei unica tantum est &
datur forma. De causa deniq; finali sequentia teneantur præcepta:
posita fine ponitur fruitum: finis est causarum prima in intentione,
ultima in executione: Finis bonus rem ponam indicat & præsup-
ponit. Atq; hæc de causis in medium attulisse sufficiat. Pleniorum
horum axiomaticum intellectum qui desiderat, & plura his addere
contendit, legat Regium Disputat: Logic: lib. 5. probl: 10.
Expeditis ij ijs quæ ad causarum locum spectare videbantur,

Jam iusto ordine ad effecta progredimur. Causa enim & effectus se mutuò respiciunt, atq; sic in doctrinis unius tractatio alterius subindè sequi debere intelligitur. Argumentamur autem ab effectis sequenti modo: posito & dato effecto, ponitur & datur causa: sic posito & dato mundo tanquam effecto, ponitur & datur DEUS tanquam efficiens causa: Effectum bonum causam bonam arguit & ostendit: sic DEUS quæ fecit omnia bona sunt: Ergò & ipse DEUS bonus erit. Sequitur jam locus subjectorum & adjunctorum, à subjecto argumentamur ita: Subjectum prius est adjunctis: sic substantia prior est quantitate, qualitate, tanquam adjunctis suis: Destructo subjecto, tolluntur quoq; adjuncta: sic destructo animo hominis, scientia & artes omnes quæ in animo humano tanquam adjuncta sustinentur, interibunt & destruentur: ab adjuncto argumentamur modo sequenti: Posito accidente ponitur subjectum: sic posita paternitate, ponitur quoddam s. bjectum cui inhaereat: adjunctum subjecto præter essentiam accedit: sic habitus physicus animo hominis præter essentiam accedit. Habitus enim omnis essentiam humani animi non ingreditur, sed eidem foras saltem accedit. Atq; tantum de subjecto & adjuncto dictum sit, sequitur jam locus totius & partium: de toto & partibus hæ teneantur maxima: sublato toto tolluntur partes: sic corrupto leone, omnes ejusdem partes intereunt: posito toto non statim ut ponantur necesse omnes partes sc: integrales, sic posito leone non statim ponuntur omnes ejusdem partes integrales. Potest enim ei vel auris vel pes ablati esse positis partibus omnib. essentialibus, ponitur quoq; ipsum totum: sic posito corpore & animâ rationali, ponitur quoq; totus homo. Utimum inter locos antecedentium sedem occupans, est generis & speciei. A genere autem & specie argumentamur sequenti ratione: posito genere ponitur species: sic posito animali ponuntur quoq; ejusdem species, homo sc: & brutum. Genus latius est suis speciebus, sic animal latius se extendit quàm homo. Genus & species ejusdem sunt categoria, sic scientia &

tia & habitus, sunt ejusdem categoriæ scil. qualitatis. *Habitus enim scientiæ est genus. Quicquid competit speciei idem etiam competit generi: Sic homini tanquam speciei competit sentire, Ergo etiam ipsi animali, quod genus hominis constituitur. Atque tantum de Locis antecedentium dixisse placuit. videatur Regius Disputat. Logic. lib. 5. problem. 10. Gregorius Horst. Institut. Logic. lib. 2. tract. 3. cap. 4. 5. & seqq.*

Theorema Quintum.

Loci consequentium sunt, qui continent argumenta, ab ijs, quæ rem, de qua differitur, consequuntur desumpta.

I. *Absolutis hæcenus ijs argumentis & maximis, quæ desumpta sunt ab ijs rebus quæ rem in disputationem adductam præcedere videntur, iam per consequentiâ ad eas maximas quæ à rerum consequentibus desumuntur, accedendum esse cognoscimus. Dicimus autem quod loci consequentium sint, qui contineant argumenta sive maximas, ab ijs, quæ rem, de qua differitur, consequuntur, allata, quibus indicare volumus locos consequentium nihil aliud esse, quam indicem sive titulum, sub quo argumenta sive maxima, ab ijs desumpta, quæ rem cuius veritas inquiritur, consequuntur, continentur. His ita dictis facillè intelligitur locum definitionis, descriptionis, conjugatorum, parium & imparium, similitum & dissimilitum, huc transferri debere. Sic exempli causa, homo prius debet esse, quam possit definiri, describi, cum alijs rebus ratione quantitatis conferri, & similis alteri & dissimilis dici. A definitione autem pleriq; Logicorum taliter inferre solent: cui non competit definitio, eidem nec competit definitum, sic cui non competit definitio hominis sc: animal rationale esse, eidem nec competit definitum sc: hominem esse.*

Quicquid

Quicquid dicitur de definitione, illud etiam dici potest de definitione: In omni definitione legitima, proximum & adequatum genus adhiberi debet. Vnius rei, unica est definitio. De descriptione sequentes teneantur maxima: cui convenit descriptio, eidem quoque convenit quod describitur, ut si tibi convenit latrabilem esse eodem tenore etiam te canem esse dicimus. à quo removetur descriptio, ab eo etiam removetur descriptum: sic si ab aliquo removetur, animal hinniens esse, ab eodem etiam equum esse removendum. A conjugatis sequenti modo argumentari solemus: cui competit & attribuitur unum conjugatorum, eidem & alterum attribui potest: Posito uno conjugatorum, ponitur quoque alterum, & sublato uno conjugatorum tollitur quoque alterum. De paribus & imparibus sequentia observanda axiomata: Quod uni parium convenit, illud alteri quoque, ut conveniat necessum est. Cui unum parium convenit eidem & alterum attribui potest. Si quod magis esse videtur, non est, & quod minus videtur esse, non erit. A paribus & imparibus deinde qua quantitatem, ad similia & dissimilia, qua qualitatem respiciunt & in ea fiunt, progredimur. De similibus autem & dissimilibus sequentia observanda axiomata: similitudinum similis est ratio, & quod uni similitudinum convenit, id etiam alteri attribui potest. Simile non semper est idem: Dissimilibus dissimilia conveniunt, & quod uni dissimilitudinum convenit, illud ab altero eorum removetur. Arg. tantum de locis seu titulis argumenta seu maximas rem consequentes, continentibus. Plura tradit Crell: part: prop: logic: lib. 2. cap. 5 & alius. Regius Disputationum Logic: lib. 5. probl: 10. Gregorius Horst: Instit: Logic: lib. 5. tract. 3. cap. 7. 8. & seqq.

Theorema Sextum.

Loci repugnantium sunt, qui continent & indicant argumenta, ab ijs quæ cum re in dispu-

disputationem adductâ, non sunt eadem, vel
pugnant, assumpta.

I. Expeditis hæcenus ijs pro instituti nostri ratione, qua rem,
de cuius veritate inter differentes est quaestio, vel procedunt, vel
sequuntur; jam ad eâ, qua cum eadem pugnant, vel alio modo af-
fecta sunt, cum Regio, descendemus. Non enim à Solis causis, ut
materia, forma & sine, sive præcedentibus, & definitione descri-
ptione, sive consequentibus, Dialecticos argumentari, sed insuper
etiam à contrarijs, disparatis eisdem argumenta & rationes su-
mere videmus. Definitionem deinde repugnantium quod attinet,
dicimus eandem nihil aliud significare quam locos repugnantium
esse indices sive titulos, rationes ad opinionem in animis audito-
rum sive disputantium inter semet, gignentes indicantes & con-
tinentes. Ad differentiam autem dicimus quod indicent & con-
tineant rationes ijs qua cum re in disputationem allatâ pugnant,
sive alio modo dissentium assumpta. Relata itaq; volumus ad hanc
classem argumenta vel à disparatis oppositis contrarijs, contradi-
ctorijs, relatis, privantibus desumpta, quibus coronidis loco do-
ctrinam testimonijs adiiciemus. A disparatis ita argumentamur: po-
sito uno disparatorij, removentur reliqua ut hic est homo: E. non
est leo, Asinus, bos, lupus, & simile aliquod ratione carens animal.
Remoto uno disparatorum non removentur statim reliqua ab op-
positis ita argumentamur: Opposita non possunt eidem attribui
secundum idem, & ad idem & eodem tempore: opposita pertinent
ad eandem disciplinam: De contrarijs sequentia teneantur axio-
mata: Ab unius contrarij affirmatioe, ad alterius negationem re-
ctè procedimus: sic quando dicimus. Hic homo est bonus & pius.
E. non est malus & impius: Contraria semper sunt sub eodem ge-
nere: sic virtus & vitium sunt sub genere qualitatis: à con-
tradictorijs sequenti ratione argumentamur: posito uno contradi-

C

etorio

Horiorum tollitur alterum, & uno sublato ponitur alterum. Arelatis solemus argumentari ita: relatorum uno positio, statim ponitur alterum, & uno sublato tollitur quoque alterum. Sic positio patre, statim quoque ponendus est filius cuius pater sit: negato quoque patre, tollitur quoque filius. Nullus enim est parens qui non habeat filium, & nullus est filius qui non habeat parentem. Depriuantibus talia teneantur axiomata: Affirmato uno privantium, tollitur alterum, ut hic homo videt. Ergo non est cacus: Privatio presupponit habitum: sic nemo potest dici cacus, nisi qui antea habuerit visum. Ab autoritate sive testimonio tali modo argumentari licet: Dato testimonio divino, non amplius dubitandum. sic quando queritur an futurum sit extremum iudicium? & respondetur quod sic, idque confirmetur autoritate sacrarum literarum, omnino erit acquiescendum: Unicuique experto, in sua scientia est credendum. sic Aristoteli, Philosopho optimo, Methaphysicam dari asserenti, est credendum. Atque hac brevis & huic instituto nostro conveniens locorum topicorum enarratio & declaratio nobis sufficiat. Non enim hic Aristotelem adeo prolixè hac de re differentem sequimur. Nec moueat quenquam, causam efficientem, materialem, finalem, formalem, oppositam, similia, paria, dissimilia & imparia aliaque id generis à nobis more recepto logicorum, non esse definita. Muneris & officij hoc potius est Metaphysici, qui rerum scrutatur essentias & naturas: Logici verò quomodo à rebus argumentari saltem debet & non perfectam earundem scientiam indagare. De numero deinde & ordine hoc nostro tractandi locos inventionis ab Aristotelis & aliorum nonnullorum Logicorum alieno, sollicitè quarenti, respondemus, nobis nostro, Aristoteli & alijs suo consilio & modo egisse sufficere & placuisse. Plura tamen de his qui desiderat, legat Aristotelem ipsum octo libris topicorum, Mathiam Flac. Dialect. lib. toto: Crellium part. prop. Logicor. lib. 2. toto: Francif. Titelm. Logic. lib. 5. Regium Disputat. Logic.

Logic. lib. 5. probl. 9. & 10. Gregor. Horstium Institutio-
tionum Logic. lib. 2. tract. 3. cap. 1. 2. 3. 4. & seqq.

Corollaria.

I.

*An Aristoteles doctrinam topicam rectè
postponat doctrinam demonstrativam? Aff.*

II.

An Logica finis sit benè differere? N.

III.

An Dialectica finis sit benè differere? Aff.

IV.

*An causa efficientis materialis, formalis &
finalis tractatio omnis Logica cum Ramais af-
signanda? N.*

V.

*An Entia quaedam in rerum numero sint
mala? N.*

VI.

An bonitas sit Entis affectio? Aff.

VII.

An affectus sint opiniones? N.

An

VIII.

*An DEus sit considerationis Metaphy-
sica? D.*


IX.

*An causa, Relata, similia prout in doctri-
na topica tractantur sint Entia realia? N.*

X.

An peccatum sit à Deo? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esset bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document